

fit in tempore delicta sua & peccata reminisci, lamentari, & confiteri, nec verâ pœnitentiâ præparato, si sacræ Eucharistiæ particeps fieri efflagitat, deneganda est, *Steph. hîc*, ubi ex *Claro* laudat laudabilem consuetudinem, qua introductum, ut sententia condemnationis capitalis intimetur condemnato per virum religiosum. Utrum sagis nec confessis, nec plenè adhuc cōvictis, sed gravissimè suspectis morituris in carcere Eucharistia negari possit? Vide *Dn. Herm. Goëhaus. d. tract. tit. 11. & tit. 13.* tractat: An sagis in carcere mortuis sepultura deneganda? & *tit. 14.* an eæ de crimine publicè infamari possint?

2. Tollitur quoque hîc abusus, qui alicubi pessimus est, vino ingurgitandi, obruendiq; ante supplicium reum, quò pœnam, plagamq;, obrutus vino, minùs sentiat. Dandum tamen est foràs ducendo ad supplicium (Delinquentes enim publicè debent puniri, & non occultè, nisi ex magna causa, *Zieritz. hîc, verb. quando foràs producitur*) aliquid potiunculæ, non ut mergat, sed ut curas deprimat. Elegantissimè *doctissimus Zieritz. hîc, verb. nimio potu.* Optimè ait *Ecclésiastes Prov. 31. 6. 7.* Date siceram mœrentibus, perituris, & vinū his, qui amaro sunt animo; bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris non recordentur amplius.

ARTICULUS LXXX.

Judicum convocatio.

1. Ad Judicium nunciatio fieri debet, quemadmodum cujuslibet loci mos, & consuetudo est, vel per viatorem publicum, vel campanæ signo. Nihil enim facilè mutandum de solemnibus, *Zieritz. hîc, verb. ut hoc loci mos, Steph. hîc.*

ARTICULUS LXXXI.

Judicum consultatio preparatoria.

1. Acta ante sententiæ capitalis definitionem benè ponderanda, ne Judices dicantur in arduis causis, ut criminalibus, instar sagittæ fulminasse sententiam. Vide *art. 92. 181. 192.* Si autem illis oriatur scrupulus, prudentes, vel alios de jure consulent. Si quid decreverunt, adscribi actis curabunt. Vide *Gobler. Zieritz. Steph. hîc.*

ARTICULUS LXXXII.

Publicus judicum confessus.

1. Die dicta adveniente, pulsata campana (quæ hunc in usum in plerisque locis habetur, *Zieritz. hîc, verb. campanæ sonitu, & judicii initiatio*) judicium publicum ex more aperiatur, seq; Judices ad locum Judicii solitum & consuetum conferant. Judex quoq;, seu Prætor Scabinos, ac reliquos Judices confidere jubeat, ipseq; confideat, accepto in manus suas bacillo, seu nudo & evaginato gladio (*Zieritz. hîc, verb. aut gladio*) juxta regionis cujuslibet usum, & consuetudinem, eaq; decenter confessione sic usq; ad finem causæ perseveret, atq;

commo-